

Petraeus,

Herr.,

Thematata

1572.

Jf  
3995







THEMATA,  
QVIBVS VERA AC  
SIMPLEX DOCTRINA DE PEC-  
CATO ORIGINALI ET ACTVALI,  
PERSPICVE EXPONITVR ET DE-  
MONSTRATVR.

Conclufit DEVS omnia fub peccato, vt promiffio  
ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus &c.  
Gal. 3. & Rom. 3.

Lutherus in Gloffa fuper cap. 3. ad Rom. Dieses ift  
das Heubefstück vnd der Mittelplatz diefer Epiftel/vnd  
der ganken Schrift/Nemlich/das ALLES VNS  
D E I E S U / was nicht durch das Blut C H R I  
S T I erlöset/im Glauben gerecht wird.



M. D. LXXII.



M. CYRIACVS SPANGENBERG  
CHRISTIANO LECTORI. S.

**I**llas de Peccato Originali propositiones ex sacris literis, & orthodoxorum libris, collegerat tempore superiori amicis quibusdam Henricus Petreus Herdesianus. Cum autem eas descriptas in plurium manibus versari cerneret, inprimi eas non grauate concessit, ne videlicet errores, qui in describendis eiusmodi chartis committi solent, ipsi post auctori imputarentur. Quamobrem vtetur nunc illis, qui volet integris: & quaecunq; studium nostrum, veritatem doctrinae Christianae propagandi, boni consulet. Vale Christiane lector, & corde crede, atq; ore, quod credis confitere.

I.

**V**era doctrina Articuli de Peccato maxime omnium necessaria est: adeo vt homo sine illa neq; seipsum, neq; DEVM, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, cognoscere possit: neq; scire, quid & quantum aut sibi ipsi, aut DEO trino & vni sit tribuendum.

II.

Ideoq; diuus Paulus totam propemodum Epistolam ad Romanos consumit in explicatione Peccati & Legis: Gratiae ac Evangelij.

III.

Quae cum per se manifesta, atq; à diuo Luthero, & alijs tam perspicue demonstrata sint, vt à nemine, ne ab Aduersarijs quidem

quidem, in dubium vocari possint, non opus est eadem nunc  
verbosius exponi.

### III.

In primis vero, & ante omnia, de significatione vocis, PEC-  
CATVM, dicendum est, vt intelligatur quid sit id, de quo qua-  
ritur & disputatur. Nam si significatio vocabuli incerta est, de  
re quoq; ipsa certiores fieri non possumus. Dumq; alius aliud  
intelligit, fieri nequit, quin variae inde existant dissensiones.

### V.

Neq; afferentur huc noua: Sed ea recitabuntur, quae à di-  
uo Luthero in probatis monumentis, & in corporibus doctrinae  
ex sacris literis à Vvigando olim & Iudice, demonstrata sunt.

### VI.

In genere igitur vox ista, PECCATVM, significat quid-  
dam pugnans cum lege, & contrarium iusticiae diuinæ: displi-  
cens DEO: & commerens corporales & aeternas poenas (cor-  
pore doctrinae ex nouo Test. fol. 654. &c.)

### VII.

Id Iohannes, 1. Epist. cap. 3. Succincta breuitate comple-  
xus est, inquiens: Peccatum est Anomia, id est, quiddam illegi-  
timum, seu quiddam contra legem, seu quod lex accusat &  
damnat. (Ibidem, fol. 655. &c.)

### VIII.

Eleganter vero, vt omnia, vertit Lutherus: *Wer Sünde  
thut/der thut auch vnrecht: Vnd Die Sünde ist das vn-  
rechte. Daher denn offenbar vnd augenscheinlich das alles/  
was mit der Richtschnur des Gesetzes nicht vber ein kompt/  
vnd was nicht richtig oder recht/sondern vnrecht ist/Das das  
alles/in gemein/Sünde sey vnd heisse: Vt videlicet, quicquid  
prauum & peruersum, idem quoq; in genere, sit peccatum.*

## IX.

Pluribus autem vocabulis vtuntur Apostoli, cum de peccato loquuntur, sed frequentissime tamen omnium, voce **HAMARTIA** (Ibidem, fol. 653.)

## X.

Hæc autem vox, Hamartia, id est, Peccatum, non tantum aliquod factum (vt Grammaticæ sonat latinis) seu scelera, & Peccata actualia notat: Sed etiam causam efficientem Peccatorum, totamq; malam arborem, cum omnibus fructibus, hoc est, ipsam corruptam naturam, gignentem malos fructus, significat. (Ibid. fol. 653. Et, 664.)

## XI.

Et eandem significationem vocis Peccati probe inculcat vir Dei Lutherus, in aurea illa præfatione Epistolæ ad Rom.

## XII.

Peccatum, inquit, in scriptura significat non solum externum corporis aut membrorum opus aut delictum, sed omne id, quod simul mouet sese, atq; ciet ad externum opus seu delictum,

## XIII

Quod ne quis peruersa interpretatione deprauaret, negaretq; ipsam quoq; Naturam, aut ipsum Cor (id est, ipsam Animam: seu, vt Morlinus loquitur, them. 47. ipsam Mentem & Voluntatem, cum omnibus appetitionibus) cieri ac moueri simul ad ipsa patranda opera, statim ibidem clare seipsum explicat, per particulam Nempe.

## XIIII.

Indicari videlicet per vocem peccati, non tantum ipsa facta seu opera: seu ipsum etiam (pro ratione videlicet textus scripturæ) Cor: seu (ne quid excipias, aut distinguas) ipsum fun-



fundum, imamq; radicem Cordis, & (ne quid etiam excludas) omnes vires Cordis. Sünde heist in der Schrift nicht allein das eusserliche werck am Leibe/Sondern alle das Gescheffte/ das sich mit reget/ vnd weget zu dem eusserlichen werck/Nemlich/Des Herken grund mit allen Kressen/etc.

### XV.

Et quasi prouidens praesentes seculi nostri corruptelas paulo post addit: Ohn solchen vorstand dieser wörter/wirstu diese Epistel S. Pauli/noch kein Buch der Heiligen schrift/nimmermehr verstehen. Darumb hüte dich für allen Lerern/die anders diese wort brauchen / Sie sein auch wer sie wollen. Obs gleich Hieronymus/Augustinus/Ambrosius / Origenes/vnd jr gleichen / Vnd noch höher weren.

### XVI.

Cum enim Peccatum sit quiddam contrarium legi diuinæ, & quiddam prauum ac peruersum, Iusticiæ Dei repugnans: & porrò nihil tam pugnet cum lege & iusticia diuina, ac nihil ab eadem tam discrepet, quam ipsum prauum, peruersum & malum Cor veteris hominis: cumq; deniq; Deus æternus nulli rei tam irascatur, quam ipsi cordi, ac veteri naturæ nostræ, secundum quam ipsam filij iræ sumus (Ephe. 2.) quid igitur magis peccatum esse possit, quam ipsum malum cor? ipsa rationalis anima? ipsa praua natura? ipse vetus Adam? ipsa caro?

### XVII.

Quæ cum ita sint, & non solum mala facta, & delicta, sed etiam, & maxime quidem, ipse factor & delinquens (ipse nimirum vetus Adam, ipsum Cor, ipsa peruersa Ratio, prauaq; Voluntas, ipsa caro, id est, tota animalis natura, & hoc totum, quod est natum ex patre & matre) à lege Dei, & norma iusticiæ diuinæ omnibus modis discrepet, eidemq; hostiliter repugnet, atq; sit omnino mala ista, & maledicta arbor, quæ fert omnes malos

fructus, quos lex Dei prohibet, & execratur: atq; adeo ipsum capitale, originale, & substantiale Peccatum, quod nimirum omnia peccata actualia facit, & ad quod, tanquam ad radicem, & causam efficientem omnis impietatis, omniumq; actionum, maledictio legis imprimis respicit: Hanc, inquam, ob causam veteres, docendi causa, duplici & diuersa appellatione distinxerunt Peccatum: vt nimirum. Aliud dicerent Originale, Et aliud Actuale: id est: Aliud operans & agens Peccatum, Et alia operata seu acta peccata.

### XVIII.

Atq; ita hisce duabus appellationibus (ORIGINALE, & ACTUALE) distinxerunt veluti fructus ab arbore: & riuulos defluentes, ab originali fonte: Effectus à causa: acta ab agente: facta à faciente: opera ab operante.

### XIX.

Ita videlicet & vir DEI, ceteriq; Theologi orthodoxi, in Schmalcaldicis Articulis Peccata actualia (vt fructus) à peccato Originali (tanquam ab arbore) expresse & diserte distinguunt, his plane verbis: **Solcher Sünden (nemlich der Erbsünden/oder Heubtsünden) fruchte sind darnach die bösen wercke/so in den zehen geboten verboten sind: Als / Vnglaube/falscher Glaube/ Abgötterey/ohn Gottes furcht sein/vermessenseheit/verzweiffeln/etc.**

### XX.

Atq; ad eundem plane modum Lutherus in alijs quoq; scriptis Originale peccatum, nempe ipsam prauam naturam, tanquam arborem: Et actualia peccata, nempe effectus naturæ, tanquam fructus distinguit: Vt To. 1. in illud Dauidis: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, etc. **Siehe/so war ichs / das ich für dir ein Sünder bin / das auch Sünde mein Natur/mein anhebendes wesen / vnd mein empfeng**

empfangnis ist. Schweige denn die wort/werck/vnd gedancken  
cken/vnd nachfolgend Leben. Ein böser Baum bin ich/vnd  
von natur ein Kind des zorns vnd der sünde/etc.

### XXI.

Vbi Lutherus significanter originem peccatorum, seu ori-  
ginale peccatum, nempe ipsam prauam naturam: & deinde A-  
ctiones prauæ naturæ, nempe cogitationes, dicta, & facta, id est,  
actualia peccata, discernit, tanquam fructus malos, ab arbore  
non bona.

### XXII.

Hac igitur ratione diuisio illa seu distinctio Peccati à Do-  
ctoribus inuenta est. Et ipsa causa efficiens atq; operans o-  
mnem concupiscentiam, ipsumq; peccans & agens peccatū, di-  
ctum est ORIGINALI, quod videlicet fons & scaturigo sit o-  
mnium peccatorū, internorum & externorū, contra primam &  
secundam Decalogi Tabulam: Vt non solum ipse olim Vvigan-  
gandus in corpore Doctrinæ ex veteri Testamento, fol. 488. Et  
ex nouo Test. fol. 670. Et in Methodo sua, cap. 6. Et in suo Gno-  
thi scafton, fol. 212. &c. Sed proxime etiam in suis de Peccato  
propositionibus docuit, prop. 14. &c.

### XXIII.

Nam Origo, seu causa efficiens omnium peccatorum actu-  
alium, est peccatum Originale: vt diserte Paulus, Rom. 7. Et Lu-  
therus in 1. parte Postillæ Eccles. dominica Circumcisionis, do-  
cet: inquit: Diese Sünde wird nicht gethan/wie andere  
Sünde/sondern sie ist/sie lebt/vnd thut alle Sünde etc.

### XXIII.

Et nulla peccata Actualia sunt, quæ ab Originali peccato,  
tanquam à sua vera causa agente seu efficiente non profici-  
scantur: vt idem Lutherus in prædicto loco Postillæ Eccles. signi-

A 4 fican-

ficantur tradit, his verbis: **Wo die nicht were/so were auch keine wirkliche Sünde.**

### XXV.

Sic & ipse etiam nunc Vigandus in prænominatis propositionibus negare non potest, Actualia peccata ideo etiam sic vocari, quod sint fructus peccati Originalis. propof. 139. Et, 141.

### XXVI.

Hanc igitur Originem, hunc fontem, hancq; viam & vberriam scaturiginem, hanc malam radicem seu arborem, hanc causam efficientem omnium peccatorum actualium: nempe ipsam veterem animalemq; Hominis naturam, ipsum prauum & malum Cor, ipsam peruersam rationem ac voluntatem, seu ipsam carnem, id est, totum veterem hominem: vocat Ecclesia Christi, & vir Dei Lutherus, Originale, Substantiale, Naturale, Personale, aut Capitale Peccatum, quod nimirum omnia Peccata actualia faciat. **Die ursprüngliche Sünde/die Natur oder natürliche Sünde/die Personfünde/die rechte Heubtsünde/vnd wesentliche Sünde/die da alle thetliche oder wirkliche Sünde thut/etc.** In prænominato Postillæ Eccle. loco.

### XXVII.

Ex quibus luce meridiana clarius patet, Peccatum istud Originale, Radicale, Naturale, Substantiale, esse ipsam Carnalem naturam veteris Adami, ipsam peruersam, Deoq; & iusticiæ diuinæ inimicam & rebellem Animam, ipsumq; prauum Cor, cum omnibus viribus: ipsam nimirum causam efficientem omnium, internorum & externorum, peccatorum actualium.

### XXVIII.

Nisi enim hoc esset, non essent etiam actualia peccata: ut Lutherus docet.

### XXIX.

Nam non posita causa efficiente, seu operante, non sequuntur

quuntur effectus, seu opera: quemadmodum nec sine arbore fructus esse possunt, nec sine fonte originali, deduci riuuli, aut aquæ derivari.

### XXX.

Darumb sagt auch Lutherus, vnd lehret so deutlich (Vt Postilla Eccles. super Festa, in festo Circumcisionis Domini) Das die Sünde in vns/nicht ein werck oder that/sondern die Natur vnd gankes wesen selbs sey.

### XXXI.

Vnd darumb (spricht er) nimpt Gott das Glied/das zu der geburt gehört/vnd dadurch die Menschliche Natur gepflanz wird / Als wolt er sprechen/Dein Geburt / vnd deine Natur/vnd dein gankes wesen ist Sünde/etc.

### XXXII.

Definitio igitur huiusmodi ex scriptis Apostolorum constituta, in Scholis & Ecclesijs Lutheranis Iuuentuti hactenus proposita fuit.

Peccatum Originis, est reatus propter lapsum Adæ, & deprauata Natura, destituta gloria DEI, venundata sub peccatum, prædita adynamia naturali, vere obediendi legi diuinæ: quæ est mancipium Diaboli, fons & scaturigo omnium cogitationum, affectuum, & cupiditatum, & operum, contra legem Dei: obnoxia morti, & æternæ damnationi, nisi fiat remissio. Corp. Doct. ex nouo Test. fol. 662.

### XXXIII.

Porro Actualia peccata significant (vt iam intelligi facile potest) effectus seu fructus Originalis Peccati (vt etiam nunc Vigandus scribit, them. 139.) seu prauæ naturæ (vt & Philippus in locis Theologicis docet) eodem enim res redit, et vtrunq; recte ac proprie dicitur, id est, Omnes, interiores & exteriores Actiones, cogitationes, dicta, & facta, veteris Adami, seu prauæ cordis, discrepantia à norma iusticiæ diuinæ, B Et.

## XXVIII.

Etsi autem hæ voces (Peccatum **ORIGINALE**, Et, Peccata **ACTUALIA**) in sacris literis non extant: tamen res ipsas (vt necesse est, habent & distinguunt: nempe prauam, & ex aqua & Spiritu sancto nondum regeneratam naturam (quam & veterem Adamum, Carnem, & simpliciter Hamartiam seu Peccatum, & Corpus Peccati, &c. nominant) & fructus inde enascentes.

## XXXV.

Sic nimirum Corpus Doctrinæ ex nouo Testamento, parte priori Titulo, De Peccatis Actua, fol. 121. diserte hoc explicat, his verbis: Ignorant & hanc appellationem, Euangelistæ (scilicet **ACTUALE**, sicut & vocem **ORIGINALE** ignorarunt) sed discernunt tamen res ipsas: hoc est: Naturam deprauatam, & fructus inde prouenientes. Et in parte altera, fol. 670. idem repetitur: Ignorant & hanc vocem Appstoli, sed tamen discernunt res ipsas, hoc est, naturam deprauatam, & fructus inde promanantes. Et paulo ante, folio nimirum 655. Diuisiones Peccatorum hæ ferè in scriptis Apostolorum notari possunt: Aliud est Peccatum Originale, aliud est Actuale. Patet hæc diuisio ex Epistola Pauli ad Rom. & ad Ephe, 2. Vbi Paulus inter Naturam vitiatam, & fructus inde enascentes, discernit. Hæc Corpus Doctrinæ Christi:

## XXXVI.

Aliud enim est (vt sæpius dixi) arbor, aliud fructus arboris: aliud fons ipse, & aliud riuuli, ex fonte originaliter scaturientes: aliud ipsum Cor, & aliud actiones, cogitationes, concupiscentiæ, & cupiditates cordis: Aliud ipsum faciens seu operans, & aliud ipsa facta seu opera.

## XXXVII.

Quemadmodum & tota scriptura, & ipse saluator Iesus Christus, Arborem & fructus: Spinas, & fructus spinarum: Cor ipsum

ipsum (ceu fontem, & originale peccatum) & actiones cogitationesq; Cordis (ceu riuulos, & peccata actualia) distinguit. Matth. 7. 12. 15. Et Marc. 7. Luc. 6.

### XX XVIII.

De istius autem Originalis Peccati (ceu Carnis veteris Adami, Corporis Peccati, prauis Cordis, ac peruersæ Rationis ac Voluntatis, seu vt omnia dicam breuius, totius animalis ac carnalis naturæ) seuitia & tyrannide, qua nouum hominem ad peccandum impellit, conqueruntur indies omnes sancti.

### XX XIX.

Ita videlicet sanctissimus, & singulari omnipotentis Dei miraculo conuersus & regeneratus Paulus cap. 7. ad Rom. cum gemitu inquit: Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Item: Peccatum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum Peccans peccatum.

### XL.

Et tandem in commemoratione seua peccati istius Tyrannidis, queribundis exclamat gemitibus: Infelix ego homo, quis me liberabit de Corpore mortis huius?

### XLI

Sic & regius Propheta Dauid, nusquam de suis ærumnis & calamitatibus, nusquam de Aduersarijs & inimicis suis, neq; domesticis, neq; externis, tam flebiles mouet querelas, quam de ingenti ista malicia & tyrannide, & immenso onere Peccati Originalis.

### XLII.

Ideoq; in Psalmo 51. (vbi secundum verissimam viri Dei interpretationem, flebilibus suspirijs confitetur Propheta, tam vere sese coram Deo peccatorem esse, vt etiam sua natura & substantia, ipsaq; adeo conceptio sua sit peccatum) ibi igitur ardentibus votis à Deo petit, non emendari quidem, aut alterari naturam suam, sed plane nouum sibi & mundum Cor creari.

### XLIII.

Et Paulus ad Philip. cap. 1. Desiderium, inquit, habeo, & ardenter cupio dissolui, & emigrare, atq; esse cum Christo, Quemadmodum & pluribus in locis illos gemitus suos, & queribunda desideria repetit.

### XLIIII.

Nam tanta vis est Peccati istius, omnem concupiscentiam operantis, & perpetuo contra spiritum concupiscentis, vt sanctissimos etiam homines ad horribiles sæpe lapsus compellat, & nouum ac interiorem Hominem penitus profliget, ac regeneratam per aquam & Spiritum sanctum naturæ partem denuo, tanquam Pestilentissimum Venenum, & fermentum, plane corrumpat, atq; hominem in reprobum sensum, inq; infernum præcipitet: quemadmodum vbiq; plus satis vetera & recentia indicant exempla.

### XLV.

Itaq; non vanis imaginationum vmbriis fascinati, sed veris periculis adacti, nos ab hoc peccante peccato, & omnem concupiscentiam operante, ac nouum hominem tyrannica lege sua coërcente & captiuante, liberari cupimus, & demigrando hinc ad Christum in tuto collocari desideramus.

### XLVI.

Atq; hoc modo vir Dei Lutherus Mortem appellat rem vtilem fidelibus, & salutarem, per quam nimirum totus vetus Adam interficiatur, & corporea natura in Puluerem redacta, id quod in Baptismo significatum & inchoatum est, demum perficiatur.

### XLVII.

Immensa vero, atq; imperscrutabilis, & coram omnibus etiam Angelis admiranda & suspicienda misericordia & benignitas vnius & trini Dei est, qua genus humanum tam paterne complexus est, vt id non abiecerit statim in debitas ex ipso iure & conuenientissimas iustissimasq; gehennæ poenas, sed vt ipsum  
ram



tam clementer respexerit, vt materiam & subiectum illud esse voluerit, ex quo denuo nouas creaturas conderet, & cultores sibi filiosq; generaret: misso ad hoc vnigenito & coaeterno filio Redemptore, & Spiritu sancto Viuificatore, atq; Illuminatore.

### XLVIII.

Nam quanto facilius Deo erat, totum nouum Mundum, totumq; nouum genus hominum de nouo creare (vt fecit in principio) quam vnum veterem & carnalem Hominem tantis impensis tantoq; labore liberare, & recreare.

### XLIX.

Quam alta, inquam, & profunda est haec bonitas Dei, quod Homines (qui ppria & horribili temeritate morte mortui, ideoque re ipsa coram sanctis. Deo nihil nisi foetida Cadauera sunt? & quos scriptura appellat semen serpentinum, & genimen ac progeniem viperarum, filios Diaboli, irae, & perditionis: Tenebras, & vt breuiter omnia complectar, Carnem, hoc est, omnibus nominibus malos: quorum videlicet cogitationes, etiam optimae, non meliores sint quam oua Basiliscorum, Esa. cap. 59. quam profunda igitur haec bonitas & misericordia Dei est, quod nos, hostes nimirum suos & inimicos (Rom. 5. 8. & Col. 1. malasq; & maledictas Arbores: Radices germinantes fel & amaritudinem (Deut. 29. & Vites Sodomiticas proferentes Fel draconum, & venenum aspidum insanabile (Deut. 32.) nulli rei alij aptas, quam aeternae cum Diaboli gehennae (Matth. 7. & 25.) ac tetras Diaboli laruas (vt ex Luthero ipse olim Vigandus etiam loqui solitus est, in Corpore Doctrinae ex veteri Test. fol. 418. & 426. Et in suo seruo Arbitrio fol. 85. Et in Methodo cap. 6. &c. Et ipse Heshufius in suis Germanicis Concionibus, &c. natura sua dignas aeternae irae (Ephe. 2.) tam misericorditer respexit? & nos, torres ereptos ex igne infernali (Zach. 3.) materiam & lutum illud esse dignatus est, ex quo ipse, sicut figulus (Esa. 45. Iere. 18. Et Rom. 9.) nouas creaturas faceret, & tanquam ex ma-

teria pure passiva, aut tanquam ex trunco, aut rigido saxo, vt serio ac pie cum scriptura loquitur Lutherus) filios suos crearet: quo scilicet ex diris Diabolorū faucibus, exq; morte & æterna gehenna erepti, in sempiterna ipsam vitam, cum sanctissimis Angelis, laudaremus, & glorificaremus seculis infinitis.

### L.

Hæc miraculosa & stupenda misericordiae Dei magnitudo, omnium non solum hominum, sed etiam Angelorum captum longe excedit.

### LI.

Filium enim suum coæternum & vnigenitum, in istam speluncam hostium & inimicorum suorum, inq; istud regnum Diabolicum, qui est Mundus, & (vt Ioan. 1. ait) in istas Tenebras, quæ sunt homines, misit, vt ipse, non ex virili aut peccabili semine, sed de Spiritu sancto conceptus, et natus ex virgine sanctificata, & obumbrata virtute altissimi, sanctus & verus homo sese totū pro Mundo impenderet, & sua omnium optima & sanctissima natura, nostram omnium pessimam & maxime maledictam, Deoque horribili & plusquam diabolico furore resistentem naturam, in ara crucis redimeret, & sic pro nobis iusticiæ ac legi diuinæ satisfaceret.

### LII.

Tum & Spiritum sanctum nobis donauit, qui nos redemptos sanguine Christi, omnipotentia sua viuificans & sanctificans, in omnem veritatem ducit.

### LIII

Et emisit sermonem & eloquium suum Terræ (vt ait Psal. 147) & iudicia sua manifestauit nobis.

### LIIII.

Et deniq; cum verbo suo sacramenta quoq; salutifera coniunxit. Primum videlicet Baptismum, in quo tota indiuidua Trinitas

nitas, Deus, Pater, filius, & Spiritus sanctus, efficaciter adest, & carnem seu veterem Adamum mortificat, & Mentem nostram transformat (Paul. Rom. 12. & 2. Cor. 3.) & nouas ex nobis creaturas per lauacrum regenerationis facit. Tit. 5. &c.

### L V,

Deinde cœnam dominicam: in qua illius sui, quod pro nobis datum est, corporis participationem, & illius sanguinis sui, qui pro nobis in Cruce effusus communicationem, in his terris, tanquam sanctum & inuiolabile sigillum fidei nostræ, nobis saluator Iesus Christus reliquit.

### L V I.

Vt nimirum illam hostiam, & illud precium, quo redempti sumus, semper habeamus in promptu, & seueritati legis & iusticiæ diuinæ, integram à nobis & sanctam naturam, atq; obedientiam perfectam, & congruentiam jmi cordis, seu totius Animæ, omniumq; viriū, id est, totius naturæ, conuenientissimam, requirenti, sanctissimum & substantiale Christi Iesu corpus, pro nobis datum, & essentialem eiusdem sanguinem pro nobis effusum, opponere, & hoc, ceu viatico, instructi, per mortem temporalem in vitam æternam penetrare possimus: utq; hoc essentiali corpore & sanguine Christi redemptoris, tanquam sacrosancto pignore confirmati, plenaq; & filiali fiducia erecti in conspectū æterni, iusti, & omnipotentis Dei procedere non formidemus.

### L V I I.

Tandem et perfectionem ac finem tanto labori Recreationis, Regenerationis & sanctificationis nostræ in extremo die imponens Deus Trinus & Vnus, & nostra corpora ex puluere Terræ, omnipotentia sua resuscitans: totam naturam nostram (quæ hic in Baptismo, ac per verbum & spiritum renouari cœpta est) perfecte regenerabit (Matth. 19.) immutabit (1. Corinth. 15.) sanctificabit, & clarificabit? & ex mortali & carnali immortalem

lem & spiritualem reddet? vt fiat inexhaustus, perennis, & abundans omnis actualis iusticiæ fons & origo: quo videlicet similes fiamus imagini Iesu Christi (1. Ioan. 3) accipientes immarcescibilem coronam gloriæ, iusticiæ, & vitæ æternæ (1. Pet. 5. 2. Timoth. 4. Apocal. 2) cum omnibus in Christum credentibus: qui sunt vasa misericordiæ, ex mera gratia præparata, tanquam ex mala maledictaq; materia, & luto abominabili, in gloriam æternam & immortalem, ad ostendendas diuitias gloriæ Dei. Rom. 9. &c.

### LVIII.

Magna itaq; sapientia est (vt dicit, & demonstrat Lutherus ex Psal. 51. & alijs scripturæ locis sæpissime) scire, nos nihil esse, quam peccatum: Et id totum, quod est natum ex Patre & matre (antequam Homo possit per ætatem aliquid dicere, facere, aut cogitare) Peccatum esse. Ex hac autem ceu Radice nihil boni coram Deo enasci posse.

### LIX.

Hanc esse veram, & in sacris literis, ac viri Dei Lutheri, salutaribus monumentis fundatam, & experientia fidelium animorum comprobatam doctrinam, certo scio.

### LX.

Et qui huic veræ de peccato (Originali: & Actuali) doctrinæ contradicunt, & ab ea se non tam dissentire, quam abhorrere fatentur, iidem re ipsa & hoc non diffitentur, se ad Ecclesiam Lutheranam (quæ est Christiana sanctorum communio) minime pertinere: & à fundamento veritatis diuinæ iam dudum aut recessisse, aut longe semper abfuisse.

ISLEBIÆ

Excudebatur per Andream Petri

77 2995

If 3995


ULB Halle 3  
003 551 687



f







MATA,  
VERA AC  
TRINA DE PEC-  
ALI ET ACTV ALI,  
XPNITVR ET DE-  
TRATVR.

nia sub peccato, vt promissio  
TI daretur credentibus &c.

cap. 3. ad Rom. Dieses ist  
Mittelplatz dieser Epistel/vnd  
nlich/das ALLES WIRD  
durch das Blut EHR J  
en gerecht wird.



XXII.

